



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 20. Nuntii Apostolici studium in sollicitanda Pontificis libertate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

## §. XX.

Sæc XVI.  
A.C 1527.*Nuntii Apostolici studium in sollicitanda Pontificis libertate.*

Non modo Hispaniæ Præsules hanc agendi rationem damnabant, sed ferme omnes Europæ Prælati datis ad Cæsarem literis, iisque vehementibus Papam liberari postulabant; verum Cæsar horum preces semper ambiguo ac nimium generali responso eludebat, unde quæ tandem consilia agitaret, haud obscure significabat. Cum etiam Balthasar Castillionæus, qui apud Hispanos Pontificis legationeungebatur, probe cognosceret, quod Cæsar, quamvis Papæ vexationes ægre tulisse videretur, nihilominus opem eidem re ipsa ferre negligeret, spretisque Regni sui Præsulum, æque ac exterorum precibus illius libertatem minime urgeret, Regno excedere statuit, re tamen maturius perpensa consultius fore censuit, absque prævio Pontificis aut sacri Collegii mandato aulam non esse deserendam, sed potius Domini sui libertatem toto studio procurandam. Quocirca decem Episcopos adiit, rogans, ut die præfixa in ejus domo convenirent, ac de præsentis Ecclesiæ statu secum conferrent. Hi, Præsidente Nuncio Apostolico, unacum ingenti

*Guicc. l. cit.*

Sæcul. XVI. Ecclesiasticorum numero nigris induti  
 A.C. 1527. vestibus una omnes Cæsarem adeunt,  
 supplices, ut Pontifici libertatem con-  
 cederet; ast haud aliud tulere respon-  
 sum, quam Cæsari idem æque ac ipsis  
 unice in votis esse.

## §. XXI.

*Cæsaris deliberatio hac super re cum  
 suis Consiliariis habita.*

Enimvero Imperator sanctiorem Sena-  
 tum, quem *conscientiæ consilium* vo-  
 cant, congregari, ac Theologos scientia  
 longe præstantissimos illuc accersiri iussit.  
 Ferme omnium sententia eo abibat, quod  
 in re tanti momenti Religionis utilitas  
 status rationi præferatur, nilque inde  
 Cæsareæ Majestatis honori decedat,  
 sive Papa liber, sive captus esset, imo  
 etiam si cum ceteris omnibus foedere jun-  
 geretur, semper tamen ad eum in offi-  
 cio continendum, Deus fat virium Cæ-  
 sari dedisset: si vero in captivitate deti-  
 neretur, non modo id argumento sit,  
 quod ejusdem potentia pertimescatur, sed  
 etiam inde Cæsaris fama periclitetur,  
 cum hucusque semper Princeps pius,  
 Catholicus & clemens audierit, proin  
 Pontificem in libertatem assereret, pri-  
 usquam hac detentione odium in se con-  
 citandi aliis spatium relinqueret, præ-  
 cipue